



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 77. Vtrum Deus electos ad gloriam, & ad beatitudinem prædestinet
ante merita finalia absolutè præuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

10. Infertur quartò beneficia diuina tum naturalia, tum supernaturalia non esse effectus reprobationis formaliter considerata, sed solū reprobationis materialiter considerata. Probatur. Nam, sicut effectus prædestinationis formaliter considerata sunt salus, & beneficia, per quæ prædestinati videntur certissimè saluandi, sic effectus reprobationis sunt damnatio, & negatio beneficiorum, per quæ reprobi certissimè saluarentur, & per quorum subtractionem certissimè videntur damnandi. Quia tamen Deus eadem voluntate, qua vult reprobis negare beneficia, per quæ saluarentur, vult illis dare aliqua alia beneficia tum naturalia, tum etiam supernaturalia, per quæ possent saluari; beneficia autem collata reprobis sunt effectus huius voluntatis; ideo etiam beneficia collata reprobis sunt effectus reprobationis, non quidem formaliter, sed materialiter, & identicè considerata.

11. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas patet ex dictis n. 8. Merita enim per se intenduntur, & causantur à Deo prædestinante, ideoque sunt per se effectus prædestinationis: peccata autem, & demerita non per se intenduntur, neque causantur à Deo reprobande, sed purè permittuntur vt causanda à peccatoribus, ac proinde non sunt effectus reprobationis.

12. Ad 2. concedo maiorem, & distinguo minorem: peccata, præsertim quæ à reprobis committuntur in statu damnationis, erunt propriè, & formaliter poena peccatorum commissorum in via, nego: erunt poena consecutiua, & minus propriè, concedo: & distinguo eodem pacto consequens. Ad poenam propriam requiritur, vt intendatur, & ponatur à iudice contra voluntatem patientis; sed Deus non potest intendere, & ponere peccata; ergo peccata propriè non possunt esse poena. Poena consecutiua, & impropria est malum, quod licet iudex non intendat, neque ponat, tamen præuidet secuturum ex poena intentata, & nihilominus illud permittit, quia reus dignus est tali permissione; sed Deus licet non intendat peccata à reprobis committenda in inferno, tamen videt illa necessitate morali secutura, ex poena damnationis, subtractionis gratiæ &c. & nihilominus illa permittit, quia damnati digni sunt tali permissione; ergo &c. Sicut peccata damnatorum non sunt propriè poena, sic non sunt propriè effectus reprobationis, sed possunt dici effectus per reprobationem permitti, & ex effectibus reprobationis consequentes, vt dictum est num. 8.

13. Ad 3. & 4. nego minorem. Peccatum enim originale, & peccata personalia non sunt causa reprobationis, vt dicitur quæst. 79. ac proinde possunt esse effectus reprobationis.

14. Ad 5. nego maiorem, ac dico, quod licet beneficia, quæ Deus ita confert, vt videat prædestinatis cooperatura ad salutem, sint effectus prædestinationis formaliter considera-

tæ, tamen beneficia, quæ ita confert, vt videat reprobis cooperatura ad damnationem, non sunt effectus reprobationis formaliter, sed solū materialiter considerata. Ratio est, quia prædestinatio formaliter considerata est voluntas conferendi beneficia, per quæ prædestinati videntur saluandi; ergo beneficia, per quæ videntur saluandi, sunt effectus prædestinationis formaliter considerata. At reprobatio est voluntas negandi beneficia, per quorum negationem videntur reprobi sua culpa damnandi; voluntas autem conferendi beneficia, per quæ possint saluari, solū materialiter includitur in reprobatione, vt dictum est num. 10; ergo sola negatio beneficiorum, est effectus reprobationis formaliter considerata, beneficia verò ipsa sunt effectus reprobationis solū materialiter considerata.

QVÆSTIO LXXVII.

Virum Deus electos ad gloriam, & ad beatitudinem prædestinet ante merita finalia absolute præuisa?

1. **E**X vna parte videtur Deus electos prædestinare ad gloriam, & ad beatitudinem ante eorum merita finalia absolute præuisa: primò quia hoc expressè docuit Augustinus pluribus locis, quæ videri possunt apud Ruiz. de prædestinatione, disput. 10. sect. 2. & sequentibus.

2. Secundò, & est fundamentum Scoti, & Scotistarum, ordinatè volens prius vult efficaciter finem, deinde vult media conducentia ad talem finem; sed Deus gloriam, & beatitudinem electorum intendit vt finem, gratiam autem ad merendum, & ipsi merita vult vt media, per quæ consequantur finem beatitudinis; ergo Deus prius vult gloriam, & beatitudinem electorum, deinde vult illis dare gratiam ad merendum, & merita, ac ipsa merita præuidet vt absolute existentia.

3. Tertiò ex alia parte videtur Deus prædestinare electos ad gloriam, & beatitudinem solū post eorum merita finalia absolute præuisa. Vt enim arguit Vasquez 1. parte disp. 89. cap. 9. num. 76. stultus esset Rex, qui proponens præmium vt dandum solis legitimè certantibus, decerneret illud dare huic determinatè, antequam videret illum legitimè certaturum; sed Deus gloriam, & beatitudinem proponit vt præmium, & brauium dandum solis legitimè certantibus, & vsque in finem perseverantibus; ergo non decernit absolute dare beatitudinem vlli adulto, nisi postquam videt illos legitimè certaturos, & vsque ad finem perseveraturos.

4. Quartò si voluntas efficax dandi gloriam vt coronam antecederet merita, & eorum præuisionem, esset independens à meritis,

tis,

tis, ac proinde daretur, etiam si non darentur merita; sed repugnat, ut Deus velit dare gloriam ut coronam meritorum, etiam si non darentur merita; ergo.

5. Quinto voluntas dandi gloriam ut coronam meritorum est remuneratiua, & non est purè liberalis; sed voluntas non supponens præuisionem meritorum est purè liberalis; ergo.

6. Sexto reprobatio est post demerita absolute præuifa; ergo prædestinatio est post merita absolute præuifa.

7. Septimo si Deus prædestinaret ad gloriam ante præuifa merita, adulti prædestinati non haberent libertatem ad hoc, ut finaliter peccando, amitterent beatitudinem, & damnarentur.

8. Respondeo: certum est ex Tractatu de Gratia contra Semipelagianos, quod sicut prima gratia non datur ex meritis, sed datur ut sit principium omnis meriti, sic prædestinatio, seu voluntas diuina conferendi primam gratiam non supponit præscientiam absolutam ullius meriti, cui retribuat prima gratia. Hoc supposito, in quo conueniunt omnes Catholici, quæstio est inter Scholasticos, utrum prædestinatio ad gloriam ut coronam meritorum, & finalis perseverantiæ, supponat præscientiam absolutam meritorum, & finalis perseverantiæ, an potius sit ante merita absolute præuifa; vel neque præcedat, neque subsequatur, sed sit simul cum tali præscientia.

9. Tres sunt præcipuæ sententiæ. Prima, Scoti, & Scotistarum, ac Suarii lib. 1. de Prædestinat. cap. 8. & 9. & plurium aliorum, docet prædestinationem, seu voluntatem dandi gloriam adultis, præcedere voluntatem dandi gratiam ad merendum, & ipsa merita, & a fortiori præcedere absolutam præscientiam meritorum.

10. Secunda Patris Vasquez 1. parte disp. 90. & plurium aliorum docet voluntatem dandi gratiam ad merendum, & merita, ac præscientiam absolutam meritorum finalium præcedere prædestinationem ad gloriam, seu ipsam voluntatem dandi gloriam adultis ut coronam meritorum.

11. Tertia Sententia Arrubalis, & aliorum docet, Deum in eodem signo, & eadem indiuisibili uolitione uelle efficaciter dare gloriam ut coronam meritorum, & gratiam efficacem ad merendum, & finaliter perseverandum, ac ipsa merita, ac proinde prædestinationem, seu voluntatem efficacem dandi gratiam non præcedere, neque subsequi voluntatem dandi gratiam ad merendum, & ipsa merita.

12. Ut examinentur istæ opiniones, debet aduerti, quod auctores primæ, & secundæ sententiæ supponunt Deum non omnia simul, & in eodem signo, siue instanti rationis decernere, sed aliqua decernere in signo priori, aliqua in posteriori. Non conueniunt tamen in

his signis explicandis, & ordinandis. Scotus igitur, & Scotistæ, alique satis communiter distinguunt quatuor signa, ac dicunt, quod Deus videns omnes homines propter peccatum Adæ esse reos damnationis, & esse malam quandam perditionis, in primo signo ex illa massa elegit aliquos, quos specialiter dilexit, eisque dare gloriam absolute decreuit, ac proinde prædestinavit: circa alios in hoc primo signo nihil decreuit, sed præcisiuè se habuit. In secundo signo decreuit prædestinatis dare gratiam, & auxilia efficacia, per quæ finaliter mererentur gloriam, ac decreuit etiam dare ipsa merita. In tertio signo per scientiam uisionis uidit illos gratiæ cooperaturos, ac gloriam finaliter merituros. In quarto signo ex præuisione meritorum voluntate executiua uoluit illis dare gloriam ut mercedem meritorum absolute præuisorum. Hæc signa non ponuntur ita indiuisibilia, ut aliqua non possint diuidi in alia signa, ac de facto secundum signum, in quo Deus decreuit prædestinatis dare gratiam, & merita, subdiuidunt in plura signa, ita ut in primo ex.gr. decreuerit dare primam gratiam, & primum meritum: in secundo ex præuisione primi meriti decreuerit dare secundam gratiam, & secundum meritum, & sic deinceps. Suarius etiam docet, quod Deus ex directione scientiæ mediæ in primo signo habuit voluntatem per modum intentionis, qua uoluit absolute, & efficaciter aliquibus dare gloriam: in secundo signo habuit voluntatem, qua uoluit eis dare auxilia efficacia ad merendum, & ipsa merita finalia: in tertio signo habuit voluntatem executiuam, qua ex præuisione absoluta meritorum uoluit eis dare gloriam. Vasquez negat Deum in primo signo ante præuisionem absolutam meritorum habuisse voluntatem absolutam, & efficacem per modum intentionis dandi aliquibus gloriam, ac docet, quod in primo signo habuit solum voluntatem absolutam, & efficacem dandi gratiam, & auxilia congrua ad finaliter merendam gloriam; in secundo autem signo ex præscientia absoluta meritorum, & perseverantiæ finalis, habuit voluntatem efficacem dandi gloriam ut coronam meritorum. E conuerso auctores tertiæ sententiæ supponunt Deum omnia simul, & in eodem signo decernere, ut dictum est quæst. 69. num. 13.

13. Dicendum primò cum tertia sententia: prædestinatio, seu voluntas efficax dandi gloriam non præcedit, neque subsequitur voluntatem efficacem dandi gratiam, & auxilia congrua ad finaliter merendum, sed istæ duæ voluntates sunt simul, ac proinde Deus in eodem signo intendit efficaciter gloriam ut finem, & gratias, & auxilia ut media certissime conducentia ad talem finem.

14. Probatur. Ut enim ostensum est quæstione 69. num. 14. Deus omnia, quæ liberè decernit, simul & in eodem signo decernit; ergo simul, & in eodem signo decernit gloriam

nam ut finem, ac gratiam, & merita finalia ut media, quibus prædestinati certissime consequantur talem finem, & si aliter decerneret, operaretur modo imperfecto, ut ibidem est ostensum.

15. Dicendum secundò: prædestinatio ad gloriam non est positivè ante, neque post præscientiam absolutam meritorum, sed est simul, & in eodem signo.

16. Probatur: nam sicut in Deo scientia, necessaria omnino identificatur cum voluntate necessaria, sic scientia libera omnino identificatur cum voluntate libera, ac proinde voluntas libera dandi prædestinatis merita, & gloriam ex meritis, omnino identificatur cum scientia absoluta meritorum; ergo sicut prædestinatio ad gloriam non est positivè ante, neque post voluntatem dandi merita, sed est simul, & in eodem signo, sic non est ante, neque post præscientiam absolutam meritorum, quæ omnino identificatur cum voluntate dandi merita. Iuxta sententiam dicentem præscientiam meritorum esse post voluntatem dandi merita, dicendum esset prædestinationem esse ante absolutam præscientiam meritorum.

17. Dixi prædestinationem non esse positivè ante præscientiam absolutam meritorum. Potest enim admitti, quod sit ante negativè, hoc est quod Deus prædestinet ad gloriam, absque eo quod ante absolutè præsciuerit merita, licet neque præsciat post, sed in eodem signo. Plures porro ex antiquis, dum dicunt Deum prædestinasse ante merita absolutè prævisa, loquuntur de hac prioritate negativa. Dixi rursus Deum prædestinare ante merita absolutè prævisa. Ut enim dixi quæst. 68. n. 4. Deus ad omnia sua decreta libera dirigitur à tota sua scientia media; ergo etiam ad decretum prædestinatiuum dirigitur à scientia media meritorum conditionatè futurorum, ac proinde prædestinat post merita conditionatè prævisa per scientiam mediam. Adde sententiam traditam esse Sancti Augustini, & Sancti Thomæ. Senim Augustinus lib. de bono perseverantiae, cap. 14. dicens, quod *Prædestinatio est præscientia, & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur*, indicat Deum simul præscire, & velle dare beneficia, quibus prædestinati consequantur liberationem, & salutem, & ipsam liberationem, & salutem. S. Thomas 1. p. quæst. 19. art. 5. in corpore dicit. *Deus autem sicut uno actu omnia in sua essentia intelligit, ita uno actu vult omnia in sua benedictione. Unde sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa, ita velle finem, non est ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem, sed tamen vult ea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo esse hoc propter hoc, sed non propter hoc vult hoc; ergo S. Thomas expresse docet Deum eodem actu velle finem, ac media, ac proinde eodem actu velle gloriam ut finem, & merita ut media, quæ est nostra sententia.*

18. Ad 1. Augustinus, dum videtur docere Deum prædestinasse ad gloriam ante merita absolutè prævisa, loquitur de prioritate negativa. Adde dici posse prædestinationem esse priorem præscientia prioritate non virtuali intrinseca, sed rationis purè extrinsecæ, & ex nostro modo concipiendi: siquidem nos concipimus, quod prius velit dare merita, deinde videat illa ut absolutè posita, & existentia.

19. Ad 2. Argumentum Scoti propositum, & solutum est quæst. 69. num. 22. ubi ostensum est, quod ordinatè volens ordine conveniente sapientiæ infinitæ, non prius, sed simul debet velle finem, & omnia media conducentia ad finem.

20. Ad 3. distinguo maiorem: stultus esset Rex, qui proponens præmium ut dandum solis legitimè certantibus, decerneret huic dare determinatè, antequam neque absolutè, neque conditionatè videret hunc legitimè certaturum, concedo: antequam videret absolutè, sed videret conditionatè, nego; concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens. Si Rex antequam proponeret præmium, conditionatè videret, quod si proponeret tale præmium, & daret talia arma &c. hic determinatè legitimè certaret, & præmium mereretur, prudenter posset simul proponere præmium, ac decernere illud dare huic, quem conditionatè vidisset legitimè certaturum; sed Deus proponens beatitudinem ut præmium meritorum, supponitur iam per scientiam mediam vidisse, quod aliqui, si det illis talia auxilia, legitimè certabunt, & beatitudinem merebuntur; ergo.

21. Ad 4. distinguo antecedens: voluntas efficax dandi gloriam ut coronam esset independens à meritis, & non esset connexa essentialiter cum meritis, nego; & esset essentialiter connexa cum meritis, concedo; & nego consequentiam. Voluntas efficax dandi gloriam est quidem independens à meritis, sed est connexa cum meritis; sed quod est independens ab alio, si sit connexum cum illo ut causa cum effectu, non daretur sine illo; ergo voluntas dandi gloriam non daretur, si non darentur merita. Confirmatur: nam ex eo, quod Pater æternus sit independens à Filio, non sequitur, quod daretur, etiam si non daretur Filius. Rursus voluntas gloriæ etiam per adversarios est independens à gloria, & tamen quia est connexa cum gloria, non daretur, si non daretur gloria. Debet adverti, quod licet voluntas dandi gloriam sit independens à meritis absolutè existentibus, tamen vult, ut gloria sit dependenter à meritis absolutè existentibus, ut explicatum est quæst. 69. n. 28. in resp. ad primum.

22. Ad 5. concedo maiorem, & nego minorem. Voluntas gloriæ dicitur remunerativa, non quia ipsa sit remuneratio meritorum, sed quia vult dare gloriam ut remunerationem meritorum; sed ad hoc sufficit, ut gloria supponat

ponat merita, & causetur à meritis, non requiritur, vt voluntas ipsa supponat præscientiam meritorum, & causetur à præscientia; ergo. Sed hæc magis explicata sunt quæstione 69. num. 30. in resp. ad 6.

33. Ad 6. respondebitur quæst. 78. proximè sequenti, in qua examinabitur, vtrum Deus reprobet ante demerita finalia absolute præuisa.

24. Ad 7. ex eo, quod si adulti prædestinarentur ante præuisa demerita, non haberent liberatem ad hoc, vt finaliter peccando, damnarentur, respondebitur quæst. 86. in qua expresso agitur de concordia libertatis cum diuina prædestinatione.

QVAESTIO LXXVIII.

Virum Deus reprobet ante, vel post demerita finalia absolute præuisa?

1. **V**idetur Deus (saltem positivè non reprobare, nisi post demerita finalia absolute præuisa, primò quia reprobatio positiva est actus, quo Deus reprobum vult æternis supplicijs addicere; sed Deus neminem vult æternis supplicijs addicere, nisi propter peccata absolute præuisa; ergo. Probatur minor: Matth. enim 15. Christus dicit: *Ita maledicti in ignem æternum: Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c;* ergo ante decretum damnationis supponitur præuisio peccatorum.

2. Secundò eatenus Deus potest prædestinare ad gloriam, absque eo quod ante præiuderit absolute merita, quatenus prædestinando potest etiam per auxilia gratiæ facere, vt prædestinatus mereatur gloriam; sed reprobandum non potest facere, vt reprobis peccet, & peccando mereatur damnationem, & æterna supplicia; ergo.

3. Tertiò Augustinus lib. 3. aduersus Iulianum, cap. 19. dicit: *Bonus est Deus: iustus est Deus: potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Idem Augustinus lib. de Gratia, & lib. arbitrio, cap. 23. dicit. *Deus reddit mala pro malis, quia iustus est: bona pro malis, quia bonus est: bona pro bonis, quia bonus, & iustus est: solus non reddit mala pro bonis, quia iniustus non est;* ergo Deus nemini potest velle malum damnationis, nisi ante præiuderit malum culpæ.

4. Respondeo, quod auctores, qui dicunt Deum non omnia simul, & in eodem signo discernere, satis communiter asserunt, quod Deus negativè reprobet ante præuisa demerita, positivè autem reprobet post præuisa demerita, ac signa sic ordinant. In primo signo ante præiudicium absolutam meritorum, ac demeritorum Deus voluntate quadam generali, & communi prædestinat, ac reprobis, decernit dare gloriam omnibus, qui illam finaliter meruerint, & dare omnibus adultis auxilia sufficientia ad gloriam mereendam. In secundo si-

gno voluntate speciali eligit quosdam specialiter dilectos, eisque dare gloriam absolute decernit; alios autem non eligit, sed circa illos præiudicium se habet, & sic ante præiudicium absolutam demeritorum negativè reprobet, hoc est non eligit ad gloriam. In tertiò signo ex directione scientiæ mediæ prædestinatis confert auxilia, quibus videt illos finaliter perseveraturos in gratia, & sic gloriam meritorios: negativè reprobis confert auxilia, quibus videt illos non finaliter perseveraturos in gratia, sed morituros in peccato mortali, & sic meritorios damnationem. In quarto signo videt prædestinatos perseveraturos in gratia, & gloriam finaliter meritorios: ceteros autem negativè reprobos non perseveraturos in gratia, sed finaliter perseveraturos in peccato mortali, & sic meritorios æternam damnationem. In quinto signo post præuisa finalia demerita decernit morituros in peccato mortali æternis supplicijs addicere, & sic eos positivè reprobet.

5. Dicendum primò contra hanc, & alias opiniones supponentes Deum non omnia simul, & in eodem signo discernere: Deus non ante, neque post, sed simul, & in eodem signo decernit aliquibus dare auxilia, cum quibus videt illos peccaturos, & finaliter perseveraturos in peccato mortali, & sic meritorios æterna supplicia, & simul decernit illos æternis supplicijs addicere propter demerita, quæ vult permittere. Probatur. Ex dictis enim, quæstione 69. Deus omnia, quæ decernit, simul, & in eodem signo decernit, & alius modus discernendi importat imperfectionem Deo repugnantem; ergo.

6. Dicendum secundò: reprobatio non est ante, neque post absolutam præiudicium demeritorum, sed est simul. Probatur, nam vt dictum est quæst. 77. num. 16. sicut voluntas dandi prædestinatis merita finalia omnino identificatur cum præscientia absoluta finalium meritorum, sic voluntas permittendi demerita finalia omnino identificatur cum præscientia absoluta demeritorum; ergo Deus in eodem signo, in quo vult permittere demerita, videt illa vt absolute futura; sed in eodem signo, in quo vult permittere demerita finalia, vult eos, qui finaliter merebuntur damnationem, æternis supplicijs addicere, & sic positivè reprobet; ergo præscientia demeritorum finalium, & positivè reprobatio sunt in eodem signo, ac proinde præscientia neque est ante, neque post reprobationem positivam.

7. Quæres, vtrum possimus in Deo distinguere varios actus, puta voluntatem generalem saluandi omnes, & dandi omnibus auxilia sufficientia; & voluntatem efficacem saluandi quosdam, & dandi illis auxilia efficacia, & merita, ac finalem perseverantiam; reprobationem negativam quorundam; voluntatem dandi negativè reprobatis auxilia, cum quibus videt illos peccaturos, & morituros in pecca-

Gg

to